IX
MAR.
Vit.
PHILAND.
1567



1
6
229








IX
MAR
PHILAN





PHILIBERTI DE LA MARE, SENATORIS DIVIONENSIS DE VITA, MORIBVS, ET SCRIPTIS GVILLELMI PHILANDRI CASTILIONII, CIVIS ROMANI EPISTOLA.

M. DC. LXVII.





EMINENTISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO CARDINALI
BARBERINO,
EPISCOPO PORTVENSI,
SACRI COLLEGII DECANO,
S. R. E. VICECANCELLARIO.

PHILIBERTVS DE LA MARE,
SENATOR DIVIONENSIS
FELICITATEM.

CVM in eo essem, Princeps Eminentissime, vt quæ de Guillelmi Philandri, V. CL. vita, moribus, & scriptis olim annotaueram, typis essem commissurus, non diu mihi dubitandum

fuitan illa nomini tuo inſcriberem, qui ab eo tempore quo primùm de iis colligendis cogitaui, id qualecumque eſt operis multis tibi de cauſſis dicandum deſtinauerim: Videntur autem primò hoc à me officij exigere tua in rem literariam merita, quam non ſolum patrocinio tuo iuuas, ſed etiam ſcriptorum tuorum gloria illuſtras; Publicis beneficiis accedunt priuata, quibus inſtructiſſimam Bibliothecam tuam mihi ea quæ ad Philandri vitam pertinerent conquirenti vltrò patere voluiſti; par erat denique vt Ciuis Romanus Philander iis exultus diſciplinis, quæ virum Patritium decent, Romanum Principem adiret, cuius exquiſitam doctrinam, propenſiſſimum in literas, literatoſque ſtudium, mores prorſus niueos, & pietatem eximiam meritò ſuſpicit orbis Chriſtianus. Redit ergo iterum in Vrbem Philander, ſed cum rudi cultu ac peregrino, nec in eam, quæ illum deceret, comptus elegantiam, hunc ſi beni-

gne ſuſceperis, & patrocinio tuo foueris, tutus erit ab inuidorum dente; quod ad me attinet, neminem habebis deinceps fidei magis & obſeruantiæ erga te plenum. Sed ad rem venio.

INter eas Galliæ ciuitates, quæ Caſtellionis nomine gaudent, ſunt verò quam plurimæ, ea mihi præ cæteris ſemper florere viſa eſt, quæ in Burgundiæ noſtræ limite Campaniam verſus ad dextram Sequanæ ripam poſita eſt. Vniuerſum olim huius vrbis dominium penes Lingonenſes Epiſcopos fuit, donec illi annos ante circiter trecentos, vt aliquam illius partem ſaluam facerent, & à Magnatum vi & iniuria, qui ſacrum ordinem variis tunc infeſtabant modis, liberarent, priſcos Burgundiæ Duces in Caſtellionenſis dominij conſortium & ſocietatem vocarunt, ea tantummodo pacti lege, vt quæ Duci ceſſerat Caſtellionenſis dominij pars, Lingonenſi Epiſcopo deinceps clientelari iure ſubiaceret. Vrbs cæterum non tam

ciuium numero frequens, & mercimonij laude celebris, quam amœnissimo situ posita, & gratissima aëris temperie prædita, quibus fons ille accedit totâ Galliâ celebratissimus, qui etiamnum hodie priscum retinet Celticum nomen DVIONA. Sed leuia sunt hæc Castellionis ornamenta, & vrbium cæteris fere communia, longe aliis superbit Castellio prærogatiuis, gloriatur siquidem illa D. Bernardi primi Claræuallis Abbatis ac fundatoris natalibus, quam tamen in sententiam absit vt eam, & Diuioni meæ, quæ Fontanis proxima est, vbi natum fuisse Bernardum constanti omnium opinione, & veterum monumentorum fide certum est, tantum ornamentum inuideam, & calculo meo subtraham. Tot Castellionis prærogatiuis non infimum decus addere liceat Guillelmum Philandrum in ea ciuitate natum anno MDV. Ipse autem Castellione natum se fuisse non obscure videtur innuere suis in Vitruuium

annotationibus lib. V. cap. IV. vbi D. Bernardum Claræuallis Abbatem ciuem ſuum vocat, *etſi*, inquit, *alij Fontanaium putent*. lib. autem VI. cap. I. poſtquam Romam veluti alteram parentem ſalutauit, Sequanum ſibi Caſtellionem patriam eſſe diſerte pronuntiat. Nomen generis apud populares PHILANDRIER, genus autem ab alio cognomine diuerſum omnino, vetus apud conterraneos & antiquum, primariiſque ciuitatis familiis inſertum, ſed quod viros tulit ab omni hominum memoria pietate & morum innocentia commendatos, quod tantò magis æſtimauit Philander, quò altùm eos contemnebat, qui cum proprio ſplendore deſtituti ſint, ad maiorum ſuorum virtutem confugiunt, qua vitia ſua contegi, ac ſeipſos illuſtrari poſſe arbitrantur; ſecus verò illi qui propria virtute nituntur, & ſuo ſibi labore famam decuſque conciliant, nec vllum extrinſecus adminiculum, nullum adſcititium ſplendorem deſide-

rant. Philandri parentum nomina obliterauit edax rerum tempus: Sorores illi duæ, Maria Petri Giſſeij Poterij vrbis Caſtellionenſis Maioris coniux, ad quam, dum Ruthenis ageret, Margaretæ Valeſiæ Nauarræ Reginæ fabularum codicem MS, qui apud me ſeruatur, cum nondum manibus hominum cœpiſſet circumferri, memoriæ cauſa tranſmiſit. Anna ſororum altera Ioanni Mechelinoto Caſtellionenſis Præfecturæ actuario nupta. Etſi in gentilitiis Philandrorum tabulis, quas mihi vidiſſe contigit, nullum Philandro fratrem fuiſſe cognoſcatur, vnum tamen indicabo, vel ipſo Philandro teſte, qui cum anno MDLI. Georgij Agricolæ *de ponderibus & menſuris* libros in epitomen & tabulas Ruthenis redegiſſet, eas his verbis nuncupat

PHILANDRO F. DVLCISS. S.

Nemini autem dubium videri poteſt quin hoc à Philandro epiſtolium ad fratrum

ſuorum

ſuorum quempiam directum ſit, quod euincit cum ſolitaria litera F. qua *frater* plerumque deſignatur, tum verò maxime illud quod DVLCISS. vox frequens ſit inter Latina veterum epigrammata fratrum epitheton. Sed quorſum Philander huic epiſtolio Idibus Martiis ſcripto hæc inſeruerit verba, *hac etiam potiſſimum die*, ſubodorari nondum potui, anne diem Iulio Cæſari funeſtam reſpexerit, aut quiduis aliud non Oedipus explicaret. Cæterum vt latuit hactenus Philandri fratris nomen, ita & illius fortuna prorſus mihi incomperta eſt, quamobrem de illo plura dicere ſuperſedeo. Etſi in re non admodum lauta educatus Philander, optimum tamen nactus eſt adoleſcentiæ ſuæ moderatorem & inſtitutorem, Ioannem ſcilicet Perrellum ciuem ſuum, qui primæ poſtea celebritatis medicus Lutetiæ Pariſiorum magna cum laude verſatus eſt, vbi Theodori Gazæ Theſſalonicenſis librum *de menſibus* è Græco in Latinum vulgauit

Petro Palmerio Viennensi Archiepiscopo, in cuius familia vixerat, dicatum, cui Iacobi Tussani hortatu Perrellus addidit appendicis vice nonnulla *de ratione Lunæ & Epactarum ad Gazæ mentem, tabulamque anni intercalaris Attici*; Non fefellit Perrelli spem Philander, cum enim optimam & ad omnes ductilem disciplinas præ se ferret indolem, post exactos Grammaticæ labores, breui temporis interuallo Rethoricæ, Dialecticæ, eiusque præsertim Philosophiæ, quæ naturæ arcana rimatur, præceptis diligenter institutus est, quo facto ingentem de se quaqua versum expectationem concitauit. Sublato è viuis anno MDXXIX. Francisco Stannensi Ruthenarum Episcopo, viro natalium splendore iuxta & vitæ sanctitate clarissimo, successerat Georgius Armaniacus, ex illustri Armaniacorum, Comitum, qui tot historiæ nostræ paginas implerunt, prosapia oriundus, & quidem nobilissimæ gentis postremus, Carolus quippe vltimus Armaniacensium Comes cum

Catharinam Foxiam vxorem nactus fuisset sterilem, Petrum Iordanis insulæ Comitem extra nuptias genuit Georgij parentem, qui in vita soluta propter patrimonij tenuitatem cum maioribus titulis respondentem fortunam non speraret, sacro se ordini addixit, & amplissimis à Francisco I. Rege donatus Sacerdotiis, eius tandem post varias legationes commendatione in Cardinalium Collegium allectus est, vir singulari comitate, humanitate & liberalitate præditus, ac literatorum fautor eximius, quo nomine ingentem sibi orbe toto famam comparauit, is enim fuit qui nullis vnquam pepercerit sumptibus & curis, vt literatos quo posset modo ad capessenda diligentius literarum studia excitaret, quod nec maximis etiam regni negotiis distentus facere prætermisit, incredibilem in restituendis & ab obliuione vindicandis veterum auctorum scriptis operam præcipue ponens, quorum ingentem numerum non solum

vndique perquiri ac deſcribi iuſſerat ſuis ſumptibus, ſed etiam Franciſco I. Regi omnium bonarum artium ſtudioſiſſimo, vt idem faceret, miſſis in omnes Europæ partes doctiſſimis hominibus, facile perſuaſerat, dum ipſe Petrum Gillium & Guillelmum Blancum Albienſem vtrumque domi ſuæ aleret, foueret, & honeſtiſſimis ſubleuaret ſtipendiis; Vtrique autem tertium adiunxit anno MDXXXIII. Philandrum, qui ab eo deinceps non diſceſſit, ſed intimam Mœcenatis optimi familiaritatem adeptus, omnium illius ſtudiorum etiam & conſiliorum quo ad vixit particeps factus eſt. Cum porro eſſet in eo Philander vt Armaniaci familiæ cum Anagnoſtæ munere brevi adſcribendus foret, adfines & amici quos cum Caſtellione, tum Diuione habebat quamplures, nihil intentatum reliquere, vt ab ea illum ſententia dimouerent, prævidebant enim fore vt ſemel in Armaniaci familiam tranſcriptus vltimum Bur-

gundiæ nostræ vale dicturus esset, recte autem illos coniectasse docuit euentus, Philandro nullum tutiorem & tranquilliorem præ Armaniaci familia studiis rebusque suis portum reputante, sed vt adfines amicosque eo quo posset modo solaretur, suam ad illos iconem ligno industria manu incisam memoriæ caussa transmisit, cui subscripta erant carmina, quibus absentiæ suæ tædium ab eorum animis auerteret, ea autem vulgare non piguit, etsi ad hodiernam loquendi elegantiam minime composita, sed tamen pro tempore non inelegantia.

Affinité à me lier s'esforce
Pour demourer & vous reconforter,
Mais Apollo luy vient rompre sa force,
A le suiuir me voulant transporter;
Les Muses lors pour tous deux contenter,
Ont conseillé vne chose opportune,
Laisser memoire à tous pour m'absenter,
Et poursuiuir ma meilleure fortune.

Armaniaci familiæ vix adſcriptus fuerat Philander, cum Franciſcum I. Regem Maſſiliam contendere nuntiatum eſt, vt cum Clemente VII. Pont. Max. de ſumma rerum colloqueretur, impetrauit ab optimo Principe Armaniacus vt Maſſiliam pergens Ruthenis iter haberet, quas cum Franciſco Delphino, Henrico & Carolo F. F. F. Regio more ingreſſus, ab eodem Præſule magnificentiſſime exceptus eſt, cuius facti memoriam extare voluit inſigni epigraphe ad Cathedralis templi columnam choro proximam auctore Philandro appoſita, cuius verba ſunt hæc.

FRANCISCVS. VALESIVS. REX.
P. P. ET. BONARVM. LITERARVM. MELIORVMQVE. ARTIVM.
VINDEX. CVM. MASSILIAM. AD.
CLEMENTEM. VII. P. M. MAGNIS.

ITINERIBVS. GRAVISSIMA. ANNI.
TEMPESTATE. CONTENDERET.
DE. SVMMA. RERVM. COLLOCV-
TVRVS. QVO. IN CONGRESSV.
INITVM. CATHARINÆ. MEDI-
CEÆ. CLEMENTIS. PRONEPTIS.
MATRIMONIVM. CVM. HENRI-
CO. DVCE. AVRELIANENSI. RV-
THENAS. COHORTANTE. PON-
TIF. GEORGIO. ARMAGNACIO.
REGIO. MORE. INGRESSVS. EST.
ET. MAGNIFICENTISSIME. EX-
CEPTVS. MDXXXIII. NONO. CAL.
AVGVSTI. EODEM. APPARATV.
ALTERO. POST. DIE. F. DEL-

PHINVS. ATQ. DVCES. H. AVRELIANENSIS. ET. C. ENGOLISMENSIS. ACCEPTI. SVNT.

His expeditus Regij ingressus pompis Philander ad M. Fabij Quintiliani institutionum oratoriarum libros XII. commentariis illustrandos cœpit animum conuertere. Sed dum hanc ornat Spartam, nouis iterum aulæ & rerum fluctibus immergitur, Henricus nempe II Nauarræ Rex, eiusque coniux Margareta Valesia, Francisci I. Regis soror cum singulas ditionum suarum ciuitates lustrarent, Ruthenas profecti sunt anno MDXXXV. vrbs ea Comitatus titulo gaudet, cuius dominium partim ad ciuitatis Præsulem pertinebat, partim ad Nauarrum, qui magna ac prope Regia pompa in vrbem cum coniuge Idibus Iulij inuectus, ad Cathedralis templi, quod D. Mariæ Virgini sacrum est, aram maiorem

iorem ambo inter ſacrorum ſolemnia ab Armaniaco Ruthenenſes Comites coronati & ſalutati ſunt, ingenti nec ſolita omnium vrbis ordinum lætitia, Armaniaci inter cæteros, qui gentis ſuæ originem ab Albretiis Regulis repetebat, quamobrem peracta pompa nihil habuit antiquius quam vt huius rei memoriam ad poſteros tranſmitteret, cuius cura Philandro demandata, è prioris epigraphes regione titulum poſuit his verbis.

HENRICVS. ALBRETIVS. NAVARRÆ. REX. ET. MARGARETA. VALESIA. CONIVX. INCOMPARABILIS. IVSTITIÆ. INNOCENTIÆ. CASTIMONIÆ. PIETATIS. ET. RELIGIONIS. HEROINA.

PELLVCIDVM. MARGARITVM.
ET. VNICVM. TOTIVS. ORBIS.
LVMEN. ET. ORNAMEN-
TVM. RVTHENAS. SPLEN-
DIDO. AC. PROPE. REGIO.
APPARATV. INGRESSI. ET.
SOLEMNI. POMPA. PER. VR-
BEM. DEVECTI. AD. ARAM.
MAXIMAM. SVPPLICATVM.
DEDVCTI. SVNT. MDXXXV.
IDIBVS. IVLIIS. POSTRIDIE.
GEORGIO. ARMAGNACIO. IN-
TER. SACRA. CORONATI.
RVTHENENSES. COMITES.
ET. SALVTATI.

Sed priuſquam ab hac pompa penitus recedam, facturus operæ pretium videbor, ſi paucula, & in quantum ſat erit, de Margareta Valeſia ediſſeram, fuit illa omnibus ingenij & animi dotibus exculta, quæ inſigni illo natalium & fortunæ ſplendore, in quo verſabatur, non indignum rata eſt, ſi literarum monimentis nominis ſui memoriam poſteritati conſecratam relinqueret, quare vna, præter Rupeas Pictauienſes, à Scæuola Sammarthano meruit, vt ſcriptoribus Gallicis doctrina illuſtribus fœmina accenſeretur: hoc præterea inter cætera eximium habuit, quod viros literatos & virtutis opinione celebres cum per ſeipſam, tum ex Franciſci fratris liberalitate curaret exornandos, omnique opum & honorum acceſſione adaugendos, quamobrem à præclaris Galliæ noſtræ ingeniis vario carminum genere celebrata eſt, mortuam verò funebri oratione laudauit Carolus Sammarthanus. Interea autem animi oblectamenta, quibus præ-

ſtantiſſimam Heroinam, dum Ruthenis ageret, demeritus eſt Armanacius, præcipuum illud fuit, quo Philandrum in illius gratiam inſinuauit, mirata eſt in homine Valeſia candorem eximium & certantem cum doctrina modeſtiam, & vt illum audiit totum eſſe in illuſtrando commentariis Quintiliano, tunc eum vt quam nactus erat Spartam diligenter ornaret, vehementer hortata eſt, additis etiam beneuolentiæ non vulgaris teſtimoniis, ſimulque quia nonnulla iam publicam lucem ferre poterant, Ludouico Columbelio Medico Rothomagæo, qui tunc Ruthenis agebat, negotium dedit, vt quamprimùm Philandri Caſtigationes & Annotationes, vberis illius in Quintilianum commentarij ſpecimen, curaret excudi, quod ille diligenter eodemque anno typis Gryphianis præſtitit, qua in re & Philandro ſibi amiciſſimo, & inclitæ Heroinæ, quæ iubere poterat cum rogaret, morem geſſit; Ex eo autem Philandri

ſpecimine, quod ad nos ex tanto naufragio enatauit, facile æſtimabis, Eminentiſſime Princeps, quantam paſſa ſit hactenus reſpublica literarum iacturam, quæ tam locuplete careat theſauro. Armanacius interim, vt excelſo erat animo & ad magna quæque nato, Ruthenas publicis ædificiis augere cœpit atque ornare, quod eo lubentius faciebat, quo non ſine maximo lætitiæ ſenſu Armanacios ſuos meminerat Ruthenarum quondam fuiſſe Comites. Hærebat tunc Philander vtram liberalium diſciplinarum partem amplecteretur, cæteris fere iam occupatis, vnicam veteris Architectonices ſcientiam reperit vacuam, & à nemine hactenus neotericorum ſatis pro rei dignitate tentatam, ne dicam intactam, cumque dubius modò huc, modò illuc impelleretur, peruicit tandem Mœcenatis optimi auctoritas, & Architectonicam amplexus eſt, cœpitque huius artis præceptis inſtitui nullo præeunte, cuius rei vt periculum faceret, eorum

quæ moliebatur Armaniacus operum curam Philander ſibi aſſumpſit, eiuſque ductu & induſtria ſtupendi illi Cathedralis templi fornices, quà pronaos panditur, intra alterum annum ad exitum perducti ſunt, & eodem pene ſpiritu, parique diligentia ſuggeſtum illud vnde Ruthenenſes Epiſcopi cum Canonicis diuini verbi pabulo reficiuntur, quibus confectis àd alia conuerſus Philander duos eximij operis fornices alios conſtruxit, quibus aula nititur, in qua diuinam legem interpretatur Eccleſiaſtes, opus certe ſi quod aliud maxima cum arte & induſtria extructum, ſummoque in pretio ab rei ædificatoriæ peritis habitum; & quia pro templi foribus binæ aſſurgebant turres ad eam, quæ conueniebat, altitudinem nondum erectæ, earum vnam Philandri ductu Armaniacus ad iuſtam fere magnitudinem extruxit, appoſita illius vertici hac epigraphe.

FACESSANT. ÆGYPTIORVM. INSANÆ. PYRAMIDVM. MOLES. VALEANT. ORBIS. MIRACVLA.

Quibus verbis Philander vniuerſum terrarum orbem prouocare videbatur num quidpiam haberet quod immenſæ huic moli iure opponeret; Dum nouis vrbem ſuam ædificiis ornari curat Armaniacus, à Franciſco I. Rege ad obeundam ſuo nomine Legationem Venetam euocatur; Venetias in Legati Regij comitatu profectus Philander cœpta pridem literarum ſtudia non intermiſit, & vt Architectonicæ diſciplinæ ſe dederat Ruthenis, Vitruuium cœpit diligentius quam antea fecerat, Venetiis relegere, ſtatimque cum bona Mœcenatis optimi gratia Romam excurrit, vbi Sebaſtiano Serlio Bononienſi primùm vſus eſt præceptore, Architecto ſane diligenti, & magnæ tunc in Italia exiſtimationis, vnde eum Franciſ-

cus I. in Galliam euocatum honeſtiſſimis ſtipendiis aluit diu. Venetias reuerſus Philander nihil habuit antiquius quam vt Vitruuij textum literatis exhiberet quam maxime emendatum, quæ enim in procuranda ſcriptoris illius editione præſtiterat Ioannes Iocundus Veronenſis, pro nihilo ducebat Philander, eum ſiquidem tot mendis deformem ediderat, vt ſi cum Philandri editione comparetur, alter prorſus ab illo videatur. Dum verò huic operi incumbit, Vitruuij lectione monitus, qui laricem flammam non recipere ſcripſerat, quæ eſt Plinij & Palladij ſententia, eius rei cum periculum coram Regio Legato facere vellet, larix confeſtim arſit incenſa, ſed ita tamen vt flammas dedignari & à ſe excutere velle videretur. Venetæ Legationis tempore exacto ad Romanam tranſlatus eſt Armaniacus, ſucceſſore Venetiis relicto Guillelmo Pellicerio Monſpelienſi Epiſcopo, viro omnibus elogiis maiori. Romam in Armaniaci co-

mitatu

mitatu appulſus Philander, eo ſuadente & impellente Vitruuium ſuum cœpit commentariis ornare, ſuccisiuas per æſtatem operas tum in commentando, cum nonnulla quæ Romæ ſuperſunt antiquitatis veſtigia obſeruando & relegendo impendens, tanta ingenij felicitate & induſtria vt præter vnum atque alterum Vitruuij locum, quos neque ipſe Apollo ſanauerit, parum abſit quin ex tenebricoſo & innumeris mendis aſpero ac deformi ſcriptore, in literatorum manus venerit emendatiſſimus. Nec defuit Philandro, dum commentaretur, is quo primùm vſus fuerat in Architectonica præceptore, Serlius, cuius etſi eæ eſſent ingenij dotes, vt nemo tunc cum eo conferri, ne dicam, illi poſſet anteponi, nonnullorum tamen inuidiam non effugit quaſi iniquum ſe antiquorum operum cenſorem ſemper tuliſſet, quibus ille ea ſe ſolummodò veterum ædificiorum damnaſſe reſpondebat, quæ Vitruuij præce-

ptis non conuenirent, à cuius doctrina, veluti Architectonicæ disciplinæ principis, ne latum quidem vnguem perito liceret Architecto discedere. Etsi præceptori à discipulo vicem vice reddi non posse vulgari & trito feratur adagio, adhibitam tamen à Serlio circa se operam egregie compensauit Philander, monuit ille siquidem Serlium veterum Codicum fidem & vim verbi secutus, neutiquam corruptum esse Vitruuij lib. IV. cap. VI. locum, quo astragali Lesbij *simam esse scalpturam* scribit, vbi Serlius legendum putauerat *sine scalptura*, quam Philandri sententiam Daniel Barbarus, & Bernardinus Baldus, viri in re ædificatoria summi retinuerunt. Serlius verò mutati iudicij, quamuis veteri possessori fundum non vendicauerit, defraudare noluit studiosos, & hoc, ne posteri errarent, & alia quædam à se male tradita dum Baltasarem Perutium Senensem audit, alioquin post veteres, vno Bramante excepto, facile

principem, correxit annotata à Philandro dum quartum ſimul illius commentarium relegerent, ſed ſuppreſſo vbique Philandri nomine. Quod ſi tertius Serlij, qui eſt de antiquorum monimentis, commentarius à Philandro, ſicut is de quo mox meminimus, viſis ab eo vrbis Italiæque veterum ædificiis, fuiſſet recognitus, omni procul dubio in manus hominum non veniſſet inemendatus, ne dicam maxima ex parte mendax, Serlius enim cum fide aliena varia ſcripſiſſet quæ ab aliis dimenſa acceperat, operis editionem præmaturius promouere coactus, graphidos atque adeo Architecturæ omnis ignaris prorſus hominibus occaſionem præbuit acerbius in eum inuehendi, quamuis laudandi eſſent illius conatus quod prodeſſe voluerit, & ſi diſſimulandi errores non fuerunt, at certe à peritis eos indicari oportuit, & moderatius cum viro bono agendum. Sed quia iam à me cœptus eſt de Architectis ſermo, Bramantem omittere non

debeo, quem inter neotericos præ omnibus æſtimauit Philander, virum certe poſt veteres diligentiſſimum, ingenio manuque promptum, ſolertem rerum ad eam quam profitebatur artem pertinentium excogitatorem, quod etſi alij eximiæ hominis felicitati tribuerint, ſi ego ſingulari illius induſtriæ tributum velim, id iure feciſſe videbor, vel ipſo Philandri teſtimonio, qui quoties æui ſui Architectos recenſebat, vnum inſtar omnium Bramantem reputabat, quippe qui veterem Architectandi modum tot iam ſæculis ſepultum ſuſcitaſſet. Is in re admodum tenui natus eo Vrbinatis agri oppido, cui Caſtelli Durantis nomen, ſingula veterum ſparſa per Italiam ædificia cœpit tanta cura & diligentia obſeruare ac dimetiri, vt ſua deinceps ad vnicam illorum normam & amuſſim conſtitueret, quo nomine tantam ſibi famam conciliauit, vt ordinata ab illo ædificia non minoris quam veterum æſtimarentur, ſola-

que temporum intercapedine conferentur inferiora, theoricæ enim Architectonices ſcientiæ, quam ad miraculum vſque callebat, vſum, qui & artifices facit, tam feliciter addiderat, vt vnus inter omnes fuerit inuentus, cui magnificum illud D. Petri in Vaticano templum, nec vlli quà patet orbis comparandum, ex ſuo diagrammate exſtruendi prouincia à Iulio II. Pontifice demandata fuerit, cuius fabrica, etſi longo poſt interuallo, ex eiuſdem Bramantis delineatione ad finem perducta eſt, pauculis tantummodo à Michaele Angelo Bonarota, qui Bramanti non obſcure inuidebat, immutatis. Sed ad Vitruuium, à quo digreſſus fueram, redeo, ad cuius recenſionem & commentarios cum ſe compararet Philander, nullo maiori, certiorique præſidio vti poſſe credidit, quam ſi Bramantis exemplo veterum ædificia ad amuſſim perpenderet, quamobrem nihil eorum non in vrbe tantum, ſed vniuerſam ſparſim per Italiam

fuit, quod diligenter non ſcrutaretur, vnde tanquam ex optimis fidiſque magiſtris ueterem Architectandi rationem perdiſceret, cui operæ cum incumberet Ioanne Noretio vt plurimum comite, quandiu per inſtituta legum ſtudia agere vnà licuit, familiariſſime vtebatur, adeo videbatur Philandro Noretius ad optima & honeſta quæuis natus, & dignus cuius examini & ſuffragio ſingula ſcientiarum dubia & nodos committeres. Etſi verò ſummus eſſet veteris Architecturæ admirator Philander, in eorum tamen ſententiam non conſentiebat, quibus rariſſima, quæque etiam citra rationem ſunt, perplacent, antiquitatem certe veneratus eſt non qualem qualem, ſed eatenus ſi non nimium improbe & contra rationem faceret, Vitruuiique optimi ac vnici artis huius magiſtri præceptis conueniret. Cæterum impotenter in eos debacchari ſolitus erat, qui dimenſas aliquot coronices, baſes, aut capitula theatrorum, amphithea-

trorum, porticuum, fornicum & thermarum in pusilla ædificia transferunt. Subortam præterea tunc male feriatorum hominum hæresim tulit indignissime, qui Vitruuij nunquam lecti, aut certe minus intellecti præcepta damnabant, & ab eius lectione dimouebant Architectos. Nec eos insectabatur leuius qui nobilissima veterum ædificia quotidie aut in calcem excoqui curarent, aut in alia minuta transferri. Doluit præsertim quod pontis illius, quem ab Augusto Cæsare ad Narniam exstructum fuisse Procopius scribit, reliquiæ tantum superessent, modò tempus edax, & inuidiosam vetustatem tanti damni insimulans, modò immanem feramque Gothorum barbariem increpans, tam sæuam Romani nominis hostem, vt pulcherrimæ toto orbe structuræ violentas manus inferrent. Sed cum animum illius subibat recordatio fœdissimæ nobilissimorum vrbis ædificiorum destructionis, quæ tot sæculis intemera-

ta permanſerant, non poterat quin orbis dominæ calamitate ſummopere commoueretur, cuius quotidie oſſa refodi videret, hoc eſt vaſtiſſimas columnas, capitula, coronices & ſigna, locupletiſſimos Romanæ gloriæ teſtes, in puſilla & nana, ſi cum antiquis conferas, opera tranſmiſſos, quaſi parum fuiſſet externum hoſtem deſæuiiſſe, niſi & inteſtino quaſi odio ciues ipſi, atque etiam principes viri in maiorum ſuorum reliquias furenter incurrerent. Sed de his ſatis, & plus quam ſatis. Philandri in Vtriuuium annotationes pene iam ad vmbilicum erant perductæ cum tria illum maxime morata ſunt, locus primò de ſyderibus qui eſt lib. IX. cap. VI. luxatus adeo & deformis, vt ne Æſculapius quidem eum ſanaret, ferri tamen poterat huius loci iniuria, quod cœli ratio ex aliis auctoribus, qui idem argumenti genus ex profeſſo tractarunt, melius cognoſci poſſet; ſed vbi ad eum Vitruuij locum venit,

in quo ille de machinis, tum aqua illi hæsit, cum præsertim nulla veterum extarent monimenta quibus ad eius explanationem via sterneretur; hæc cum illum res torsisset plurimùm, sollicitumque diu habuisset, omnibus ingenij viribus contendit, vt locum hunc MSS. Codicum ope restitueret, aut saltem ex pauculis qui extabant huius argumenti scriptoribus, Vitruuij maculas elueret, quod nihilominus frustra fuit; Ne tamen studiosis deesse videretur, quædam in hunc locum annotauit, sagacioribus, vt pro modestia sua inquiebat, ingeniis difficultatis nodum assecuturis, quod nondum præstitum est. Vltimus Philandri in Vitruuium labor fuit Voluta Ionica, in qua circinanda & rotundanda, postquam Vitruuij delineatio illius periit, multi laborauerant, seu enim quod promiserat Vitruuius non exsoluerit, aut figuræ edacis omnium vetustatis dentibus consumptæ, quod magis credo, perierint, cer-

tum eſt eas ad librorum finem promiſſas in omnibus Vitruuij Cod. MSS. deſiderari. Leo Baptiſta Albertus prior cum beſtia, nam ſicut anguis colligit ſe in ſpiram Voluta, conflictatus fuerat; Albertus Durerus certamen iniit ſecundus, egregius vterque pugnator; tertius ſucceſſit Sebaſtianus Serlius & cum ea commiſſus eſt, & is ſane videbatur feram confecturus, verum poſt multa vulnera reſpirantem adhuc, & membra, licet ægre, tollentem reliquit, vt ſi ita dimitteretur, ſpes quidem ſalutis ſupereſſe videri poſſet, id eſt vt obluctaretur, nec ſatis feliciter ſe hactenus circinatam eſſe iactaret, Philander autem, dum langueret illa, periclitatus eſt ecquid ea in re poſſet, vt ſi feram conficeret, vel hinc aliquid gratiæ à ſpectatoribus foret expectaturus, ſin minus hoc certe ſe nomine ſolaretur, quod fortes illi & egregij citra controuerſiam pugnatores etiam re infecta è conflictu rediiſſent. Verum eorum neu-

ter ad Nicolai Goldmanni guſtum, qui ex omnibus rei Architectonicæ ſcriptoribus nullum Vitruuij mentem aſſecutum fuiſſe ſcribit, an verò ipſe quæ propoſuit rite demonſtrauerit, penes huius artis peritos iudicium eſto. Sed ante illum, pace tanti viri dixerim, Philibertus Vlmeus Regius Architectus circinandam & rotundandam docuerat Volutam Ionicam ex antiquiſſimis Tranſtyberinæ D. Virginis ædis capitulis ſolo circini ductu delineatis, et vtroque prior Franciſcus Saluiatus pictor Florentinus, qui ea de re ſctiptum Danieli Barbaro Aquileienſi Patriarchæ, veluti ſupremo rei Architectonicæ arbitro dicatum publicauit, quod etiam Andreæ Palladio ſummo æui ſui Architecto communicatum voluit, vbi ex eadem imperfecta Tranſtyberinæ ædis Voluta, ſpiralis illius lineæ centra XIII. annotauit, quibus Ionica tam eleganti flexu circumducitur. Dum tot tantiſque laboribus in reſtituendo Vitruuio defun-

gebatur Philander, quos maiores fuisse scribit, quam futuros sperabat, operæ suæ pretium nactus est, omnium quippe Vrbis ordinum consensu Romana ciuitate, nihil minus aut ambiens, aut sperans, literarum & virtutis ergo donatus est, cuius beneficij gratiam, non data sed quæsita occasione, insigni Vrbis illius gentium Dominæ elogio pene compensauit, cum ad eum Vitruuij locum commentaretur, quo Romam Deorum immortalium consilio egregia temperataque regione collocatam esse scribit. Sed dum hæc scribo, ecce idem mihi, qui olim Philandro, honos defertur, mox enim Iosephus ille tuus Maria Suaresius Vasionensis Episcopus, vir in quo certant cum doctrina pietas, animi candor, & de literatis bene merendi studium, diploma transmisit, quo me, etiam absentem, Senatus Populusque Romanus ciuitate donauit, quem honorem ab Vrbe rerum Domina mihi delatum, adpro-

bante Christianissimo Rege, sic amplector, vt huius gratiæ memoriam nulla vnquam obliuione extinctam iri publice profitear; quod vt fixum ratumque magis sit, patere, Princeps Eminentissime, vt te voti mei testem scripto & voce solemni appellem. Philandri opere tandem ad vmbilicum perducto, cum de deligendo, vt fieri solet, patrono deliberaret, & animi dubius penderet num illud Paulo III. Pontifici, à quo probari intellexerat, inscriberet, an cuipiam ex purpuratorum Senatu, aut etiam tam bene de se meritis ob eam quam mox dixi causam, Senatui Populoque Romano, vicit tandem Armaniaci auctoritas vt Francisco I. Regi librum nuncuparet Philander. Quanto porro cum eruditorum omnium plausu excepti fuerint Philandri in Vitruuium commentarij, testis vnus mihi est omni exceptione maior Henricus VVottonus variis Iacobi I. Angliæ Regis nomine Legationibus functus,

qui in ſua elementorum Architecturæ, cuius erat peritiſſimus, præfatione primam Philandro laudem inter Gallos Vitruuij commentatores tribuit, vt Gualthero Riuio inter Germanos. Exeunte anno MDXLIV. Georgius Armaniacus Ruthenenſis Epiſcopus Franciſco Rege commendante in Cardinalium Senatum à Paulo III. Pontifice, apud quem Regij Legati munus obibat, allectus eſt, quanto perfuſus fuerit gaudio Philander cum Armaniacum Mœcenatem ſuum ad purpuram euectum accepit, ſatis omnes, etiam me tacente, æſtimabunt. Reuerſum autem ſeu obita poſt triennium Legatione, ſeu vt Regi ob nouam in ſe dignitatem collatam gratias ageret, Armaniacum in Galliam comitatus eſt Philander, qui ſacro ſe tunc ordini admouere cogitabat, ſed oneris grauitate & magnitudine territus ab ea ſententia diſceſſit, quam poſt decennium et quidem maturus annis reſumpſit. Verum priuſquam ex Italia diſce-

deret Armaniacus, ad Thraſymenum lacum, quem nunc Peruſinum vocant, conceſſit peregrinationum ſuarum perpetuo comite Philandro, qui locum medium ferme Peruſiam inter & Cortonam diligenter luſtrauit ingenti illa clade inſignitum, quam hic ſecundo bello Punico Romani ab Hannibale fuſi acceperunt C. Flaminio Conſule, cuiuſque deſcriptionẽ ſuis in Vitruuium annotationibus inſeruit non leuem huius temporis hiſtoriæ lucem allaturam. Breuis inde illis excurſus fuit in Lucum Spoletinorum montem variis plantarum generibus refertum, vbi cum plurima viticis arbuſta obuiam habuiſſent, quam Amerinam ſalicem nonnulli, vulgus autem herbariorum Agnum caſtum vocat, Philandro placuit experiri an quæ de hoc arbuſculo Dioſcorides, Plinius & Galenus ſcripſerant, vera eſſent, viticem nempe eſam potamque, ac etiam ſubſtratam conferre ad caſtitatem, proptereaque in Theſmophoriis

Cereris ſacris Athenienſes fœminas foliis eius ſibi cubitus ſternere ſolitas fuiſſe, quod illa Veneris ſtimulos arceret, cuius rei periculum facturus Philander, cum plurimas ſecum viticis frondes detuliſſet, probauit & ipſe, ſed mirari ſatis non poterat temporis iniuria, aut librariorum oſcitantia deformatum eſſe Galeni Codicem Græcum *de alimentis*, nec id animaduertiſſe tot eruditos illius interpretes, ibi enim in prioris libri extrema pagina viticem ſcribit Galenus refrigerare, cum lib. VI. *ſimplicium medicamentorum* calefacere apertiſſime ſcribat, ſimulque exſiccare, & maxime omnium flatus diſcutere, quæ duo non vana ſunt caloris argumenta; Ruthenas ſuas reuerſus Armaniacus, cum indefeſſo ædificandi ſtudio teneretur, eas cœpit aut nouis ornare fabricis, aut labantia ſubſtructionibus fulcire, cuius rei geminum extat etiamnunc monimentum, prius quidem cum Epiſcopales ædes vetuſtate collabentes

adeo

adeo reſtituit, vt vrbis ſecuritati ſimul & ornamento, nec non priuato Epiſcoporum commodo conſultum voluerit, quod inſigni epigraphe teſtatus eſt Philander ad vrbis muros Epiſcopio adiacentes, quà ſol occidit, appoſita his verbis.

LABANTI. EPISCOPIO. DVM.
ERISMATE. ET. SVBSTRVC-
TIONIBVS. ILLVSTRISSI-
MVS. CARDINALIS. ARMA-
GNIACVS. MEDETVR.
OPERA. EADEM. VRBIS.
SECVRITATI. ET. ORNA-
MENTO. CONSVLIT.

Extat & aliud eiuſdem Armaniaci monimentum, quod Philandro duce ad exactiſſimam ſeuerioris Architecturæ nor-

mam constructum D. Martialis portam exornat Cathedrali templo simulque Episcopio veteri conterminam, alterius columnæ basi seu dirutâ, seu temporum iniuria corruptâ, ea quæ tot iam annis superest, hoc præ se fert ductoris Philandri epigramma.

ORNAMENTO. VRBIS. AC. CIVIVM. OBLECTAMENTO. ATQ. EPISCOPII. COMMODITATI. GEORGIVS. ARMAGNACIVS. CARDINALIS. RVTHENENSIS. EPISCOPVS. PORTAM. HANC. NON. INVENVSTAM. NEC. INELEGANTI. SPECIE. VT. EST. INGENIO.

AD. PRÆCLARA. QVÆQ. COMPOSITO. CVM. TECTA. ITIONE. SVA. IMPENSA. EXTRVENDAM. CVRAVIT.

Sublato è viuis Paulo III. Pontifice cum Patres de ſucceſſore deligendo deliberaturi eſſent, Armanacius Romam iterùm conceſſit anno M D L. vt Pontificiis comitiis intereſſet, relicto Ruthenis Philandro, qui quas Romæ molitus olim fuerat in Vitruuium annotationes, conſtituit anno MDLII. caſtigatiores & plus tertia parte locupletiores publicare, idque Lugduni apud Ioannem Tornæſium Typographum oppidò induſtrium, quo loci ſeceſſit dum in excudendo opere feruerent præla; hanc autem alteram Vitruuij editionem Armanacio Mœcenati dicauit Philander, primum ne ea patrono careret, mortuo Franciſco I. Rege doctiſſimo, & harum rerum peritiſſimo, cui prior

editio conſecrata fuerat; deinde quod earum annotationum partem iure ſibi vindicare poſſet Armanacius, , qui non pauca, cum Vitruuium ſimul legerent, ad illius interpretationem attuliſſet; poſtremò autem vt ſi non inſignem, at certè aliquam grati in Mœcenatem animi ſignificationem ederet. Et hic quidem me locus admonet vt Petri Frizonij viri alioquin diligentis lapſum annotem, qui in *Gallia purpurata* dicatam fuiſſe Armanacio Vitruuij editionem à Philandro anno MDXLI. ſcribit, cum ex ipſa auctoris præfatione hoc annos tantum poſt vndecim contigiſſe euincatur. Annus ſæculi voluebatur quartus ſupra quinquageſimum, cum incredibili amplectendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſiderio inflammari denuo ſe ſenſit Philander, quod præter pietatis ſtudium, otium illa præberet ſecurius, & vberiorem ad Philoſophicas diſciplinas tranquillitatem, commodum autem euenit, vt Benedicto Valiato

Ruthenensis Ecclesiæ Canonico recens demortuo successor tunc quæreretur, Collegij suffragia præiuit fama communis, & vt Philandrum Valiato substitutum fuisse, quod pridie Aprilis contigit, nuntiatum est, nemo Ruthenis fuit, qui hoc illi Sacerdotium prius non adiudicasset, præiudicata virtutis, quæ in eo plurimum elucebat, opinione. Romæ interim regni negotia procurabat Armanacius, cum Petrum Gillium Albiensem ineunte anno sequenti mors oppressit, hic ad exactam (vtar Thuani verbis) vtriusque linguæ, antiquitatis, veterum scriptorum, bonarum disciplinarum, ac præcipue rei naturalis cognitionem indefatigabile longinquas regiones lustrandi studium attulerat, quo incitatus per XL. amplius annos instituta per Græciam, Asiam vtramque, & maiorem Africæ partem diligenti peregrinatione, partim vt Græcos Codices, sic enim à Francisco I. Rege iussus erat, vndique colligeret, partim vt multorum

locorum positum describeret, quæ tamen peregrinatio parum illi prosperè cessit, à Barbaris enim interceptus, & in Africo littore durissimum carcerem perpessus tandem singulari Dei beneficio ex Menigensium piratarum manibus munificentissima Armanacij cura & liberalitate redemptus euasit, in cuius familiam, dum Romæ Oratorem Regium agebat, tanquam in tutissimum studiorum suorum ac fortunarum portum se contulit, vbi dum ordinandis ac recolligendis, quas tanto tempore sparsim congesserat, narrationibus dies noctibus continuat, ardentissima febre correptus Romæ fato functus est annos natus LXV. ad D. Marcelli funeratus, & ab optimo Mœcenate sepulchri honore decoratus. Scripta eius ne perirent, eiusdem Armanacij in clientem amor, & propensum ad iuuandam rem literariam studium prohibuit, maiori eorum parte in Galliam allata & publicata Armanacij iussu, reliquam à Petro Belono Cenomano

Gillij amanuensi & peregrinationum per annos aliquot comite subreptam fuisse credunt, qui licet ea suo, non Gillij nomine postea euulgauerit, tamen vel plagiarius non mediocrem à literatis gratiam iniuit, cum, quod pluribus contigit, illa publico minime inuiderit. Sed *de Bosphoro Thracio* Petri Gillij commentarium, vt & *Constantinopoleos Topographiam* Armaniaci cura seruatam publicauit postea Antonius Gillius Petri ex fratre nepos. Gillium luxit Philander non solùm vt hominem literatum, sed vt sibi amicum, & studiorum suorum comitem, cum quo in literarum otio consenuerat. Suffecto in Marcelli II. locum Paulo IV. Pontifice Armanacius in Galliam reuersus est, & ad Tolosanas infulas à Francisco II. Rege translatus, cum se prius Ruthenensi Episcopatu Rege annuente in Iacobi Corneliani Vabrensis Episcopi ex sorore nepotis gratiam abdicasset, iuuenis ingenio, doctrinà & morum elegantià insignis, eo-

que nomine Philandro, vt ipſe pluribus teſtatur, cariſſimo, ad quem varias veterum inſcriptiones tranſmittere ſolebat à Thoma Cadamuſto Laudenſi Pauli III. Archiatron Comite, & diligenti harum rerum indagatore acceptas. Cornelianus porro vt ſe ad Epiſcopatum Ruthenenſem promotum vidit, paſtoralis ſollicitudinis onus tutius deponere non poſſe arbitratus eſt, quam ſi committeret illud Philandro, mortuo quippe Ioanni Stannenſi D. Antonini in Ruthenenſi eccleſia Archidiacono Philandrum confeſtim ſuffecit, cui dignitati etſi annexam eſſe non dubitaret ingentem curarum molem, eamque ideo veluti perpetuum à literarum ſtudiis auocamentum refugeret, Armanacio tamen Mœcenati vt impoſiti recens Corneliano nepoti oneris partem ſubire vellet obnixe efflagitanti operam ſuam denegare non ſuſtinuit Philander, eius itaque muneris poſſeſſionem adeptus eſt VIII. Idus Decembris MDLXI.
quam

quam ad vltimum vitæ ſpiritum retinuit, vt Eccleſiæ Ruthenenſis tabulæ teſtantur, etſi non ſemel Carolum Monchalium Archiepiſcopum Toloſanum, quo neque ſapientiorem, neque literarum amantiorem ætas noſtra vidit, audiuiſſe dicentem meminerim eiuratam fuiſſe paucis ante mortem diebus à Philandro Archidiaconi dignitatem. Quamuis commiſſæ ſibi diœceſeos curà impigre defungeretur Philander, nihil interim de literarum ſtudiis, quibus totam fere vitam contriuerat, remittebat, Architectonicæ ſuæ præſertim intentus, vnde factum eſt vt Corneliano turrim, quæ Curberia nuncupatur, veteri Epiſcopio coniungendi auctor fuerit, interiecta inter vtrumque vaſtiſſimi operis mole lapidea ad apertæ porticus formam cōſtructa, non probante tantum Armanacio, ſed & eo iubente, & ſumptus ex Ruthenenſis Epiſcopatus fructibus ſuppeditante, tunc enim mos peſſimus inualuerat, vt qui Epiſcopatu

cessisset, illius tamen fructus omnes perciperet, solaque sacrorum & Ecclesiasticæ disciplinæ cura penes Episcopum esset, quod fere testatur inscriptum à Philandro porticus loricæ, quà occidens est, epigramma.

IACOBVS. CORNELIANVS.
EPISCOPVS. RVTHENENSIS.
HOC. ALIOQVI. PERNECESSARIVM. OPVS. SCVLPTVM. QVIDEM. ILLVD.
ET. EXPOLITVM. SED. TAMEN. QVOD. NISI. MAGNA.
PROPE. DICAM. NVLLA.
VI. LABEFACTARI. QVEAT.
IVSSV. IMPENSA. ATQVE.
ARBITRATV. ILLVSTRISSI-

MI. CARDINALIS. ARMAGNIACII. EXTRVENDVM. CVRAVIT.

Reliquum vitæ tempus Philander ſeu in ordinanda Ruthenarum diœceſi contriuit, ſeu philoſophicis meditationibus immerſus, donec Toloſam anno MDLXV. profectus, vt optimum Mœcenatem Armanacium ſalutaret, quod ſingulis ſemeſtribus erat illi ſolemne, in morbum inciderit, quo attritis ſenſim corporis viribus, vir morum ſuauitate & animi candore præter cætera conſpicuus, vitam cum morte commutauit X. Calendas Martij annos LX. natus, ac eodem die in D. Stephani Xyſto ſepultus ipſo Armanacio funeris pompam non ſine lachrymis proſequente, & ſepulchri honore virum de ſe & republica literarum bene meritum dignante, cuius hic eſt titulus.

D. O. M.

GVILLELMO. PHILAN-
DRO. CASTILIONÆO.
CIVI. ROMANO. EXIMIA.
ERVDITIONE. AC. DOC-
TRINA. SINGVLARI. VIR-
TVTE. NOBILI. SCIEN-
TIA. CLARO. PIETATE.
INSIGNI. RELIGIONE.
NON. ALIENA. MO-
RVM. SVAVITATE. FA-
CILI. ANIMI. CANDO-
RE. CONSPICVO. SEN-
SV. ERGA. OMNES.

PROBO. ANTIQVITATIS.
ET. ARCHITECTVRÆ. PE-
RITISSIMO. FAMÆQ. CELE-
BRITATE. ETIAM. EXTE-
RIS. NOTO. QVI. IN. STV-
DIIS. LITERARVM. MVL-
TIS. ANNIS. CONSVM-
PTIS. DVM. ANTIQVO-
RVM. MONVMENTA.
EVOLVERET. AC. SE.
ANAGNOSTEN. IL-
LVSTRISSIMO. CAR-
DINALI. ARMENIA-
CO. PRÆBERET. TAN-
DEM. ATTRITIS. VIRIBVS.

CORPORIS. LENI. SVSPIRIO VITAM. EFFLAVIT. GEORGIVS. CARDINALIS. ARMENIACVS. FIDELISSIMO. ANAGNOSTÆ. SVO. SPE. FVTVRÆ. RESVRRECTIONIS. HOC. MONVMENTVM. MOESTISSIMVS. P. C. VIXIT. ANNOS. LX. FATO. VERO. SVO. FVNCTVS. EST. X. KL. MART. ANNO. DOMINI. MDLXV.

Amicis vſus eſt Philander & viris optimis & doctiſſimis, inter quos principem facile locum obtinet Paulus III. Pontifex Maximus, quem præter dignitatis or-

namentum, illuſtrabat antiquitatis & linguarum, atque adeo rerum pene omnium cognitio non vulgaris, & in bonos doctoſque viros propenſiſſima voluntas, quam non ſemel expertus eſt Philander, ab eo non ſolum maximo in pretio habitus, ſed & intimæ ad illum admiſſionis particeps factus; extat certe eximia huius rei in Philandri ſcriptis memoria, cum apud doctiſſimum principem de recta ſtatuarum in ſacris ædibus collocatione commentatum ſe fuiſſe narrat ſuis in Vitruuium annotationibus cap. VIII. lib. IV. quod vir optimus Ioannes Latius & de re literaria quam bene meritus in Amſtelodamenſi, quam procurauit, Vitruuij editione, de induſtria prætermiſit, veritus ne, ſi intexuiſſet, hoc ſacris ſuis quæ nullas admittunt imagines, fraudi fuiſſet. Proximus huic vt dignitate, ita & de Philandro bene merendi ſtudio ſuccedit Marcellus Ceruinus tunc Cardinalis, dein ſeruato priori nomine Pontifex Maximus nimiùm

citò Ecclesiæ ſubductus, quo nec prudentiorem habuit Orbis Chriſtianus, nec pietatis & literarum amantiorem, hic non ſolum patrocinio Philandrum iuuit, ſed vt erat liberalibus diſciplinis apprime inſtructus, variis in Vitruuium animaduerſionibus ditauit, ſcribit certe non vulgaris notæ Architectus Philibertus Vlmeus multa ſe à Marcello tunc Cardinale ad Architectonicen pertinentia didiciſſe, quippe qui graphidos peritiſſimus theoricæ practicam addiderat, plurimaque veterum ædificia propria manu tam ſoleter delineauerat, vt ad cælaturam proxime accederent. Paulus Iouius Nucerinus Epiſcopus ſui temporis hiſtoriarum diligentiſſimus ſcriptor, ſed quem ad gratiam & in odium ſcripſiſſe, venalemque habuiſſe calamum nemini jam non eſt perſuaſum, quamuis illius hiſtoriam numeris omnibus abſolutam eſſe Philander ſcripſerit, quo facto magis ſe Iouij, quam veritatis amicum oſtendit. Philippus ille
Stroz-

Strozzius Patritius Florentinus, qui cum patriam olim vidiſſet liberam, amiſſa libertate vertere ſolum maluit, nec vnquam potuit adduci, vt Florentiam nouo domino parere coactam rediret, ſed vt vel in aliena Republica ciuitatem retineret, & amiſſæ libertatis auram veluti reſpiraret, Patauij volens exulabat, vnde quandoque excurrebat Venetias, vt Armanacium Regis negotia tunc obeuntem inuiſeret, & cum eo, ſimulque cum Philandro de rerum natura, & piſcium præſertim, quibus impenſe oblectabatur, ſermones miſceret, donec ſumptis in Coſmum Medicem armis, & in Montmurlana pugna captus propria manu vir meliori fato dignus perire maluit, quam victoris clementiam experiri, cõmiſſa filiis & nepotibus vindicandæ necis paternæ cura. Ludouicus etiam Lucenius, & Claudius Ptolemæus Lucenſis, acri vterque ingenio, quorum iudicium ſic probabat Philander, vt ſuas omnes ſeu in Vitru-

uium, ſeu Quintilianum commentatio-nes illorum examini ſubiiceret. Amicum etiam habuit Philander Ioannem Metellum Sequanum ICtum, iuuenem Græce, Latineque doctum, & eximium antiquitatis cultorem, à quo legis Puteolanæ exemplum Philander obtinuit ex Hadriani Guillelmi archetypo deſcriptum, quodque propter varia Architectonicæ nomina, aliaque antiquitatis veſtigia, quibus lapis ille aſperſus eſt, ſuis in Vitruuium annotationibus tranſcripſit: Franciſcum etiam Priſcianenſem præclaræ eruditionis eximiique iudicij virum, cuius coniecturis plurimum tribuebat. Nec non Ioannem Baptiſtam Pium primæ in docendo Romæ celebritatis Grammaticum, ſicut & à me ſuperius nominatum Ioannem Noretium, Bartholomæum Pratenſium, & Guillelmum Giſcaferium viros in euoluendis vtriuſque linguæ auctoribus non mediocriter exercitatos, qui cum aliquando meditanti Philandro & de ver-

tendis è Græco tribus epigrammatis, quæ apud Vitruuium leguntur, cogitanti interueniſſent, *tu*, inquiunt illi, *reliqua*, *penes nos eſto vertendi labor*, cumque epigrammata ſorte accepta Latina feciſſent ex tempore, placuit ea Philandro ſuis in Vitruuium lucubrationibus intexere. His addere liceat Ioannem Vaſſurium eximij ingenij & doctrinæ virum, meliorisque notæ Theologum, & Antonium Angelum variis in Orientem peregrinationibus clarum, & bene doctum, Ambianum vtrumque. Etiam & puellas non eſt dedignatus amicas Philander, Lucretiam nempe Borromeam eximiæ pulchritudinis virginem Patauinam, in qua dotanda omne naturæ myrothecium exhauſtum fuiſſe ſcribit, quam quartam Charitem, aut Muſarum decimam eo teſte iuraſſes, niſi vnam potius tres Charites & Muſas nouem eſſe dixiſſes, tot à Philandro laudes & encomia exiguo cærulei annuli munere mercata eſt Borromea. Nec maiori pre-

tio, gemmæ ſcilicet arietis oppugnatorij figura ſculptæ dono Philandri amicitiam promeruit Caietana puella, & corporis ſpecioſa habitudine, & virginali pudore inſignis Iſabella Bonamana; Philandri verba refero, *ſcitula & venuſtula puella, bellula atque lepidula puella, ſuauiſſima & mellitiſſima puella, ſubfuſcula, ſed formoſula, & delicatula puella, eius ſermone & conſuetudine diſpeream ſi quid eſt feſtiuius, mellitius, atque ſaccaratius.* Æſtimabunt horum iocorum periti an elegantiarum parens Catullus Lesbiam ſuam elegantius, quam Philander Bonamanam cecinerit. Philandro ſepulto nihil mihi ſupereſſe videtur, Eminentiſſime princeps, quam vt apud te, & vniuerſum literatorum Senatum memoriam illius à Thuani, & Sammarthani nota vindicem, certe literatos viros ab iis pro ſuo quemque merito laudatos fuiſſe diffiteri non poſſum, vno dumtaxat Philandro excepto, quem eorum vterque ſcribit extremum vitæ tempus non ſolum inutiliter elabi, ſed etiam ingenij acumen

ſegnitie hebeſcere paſſum fuiſſe, tamdemque ſui oblitum non tam ſenio quam otio marcidum deceſſiſſe, neglecta per ſocordiam ſtudiorum & rei etiam familiaris cura, quibus vt reſpondeam, pace tantorum virorum dixiſſe ſufficiat non debuiſſe ab illis ſupinam adeo ſegnitiem obiicj Philandro, qui tot, tantaque vel illis ipſis auctoribus reliquerit ingenij ſui monumenta, quæ ſi malo rei literariæ fato perierint, non ideo tamen deſidiæ & ſocordiæ Philander inſimulandus fuit, quaſi rem literariam inani tot promiſſorum expectatione deluſerit, niſi & pari ratione innumeros Græcæ, Latinæque facundiæ ſcriptores eadem ſocordiæ labe aſpergere liceat, quorum ne minima quidem ſcriptorum pars ad nos pervenit, cuius controuerſiæ iudicem te appello, Princeps Eminentiſſime, à quo prouocare non datur; Sed ne dictis fides abſit, placuit Philandri operum elenchum ſubjungere, quæ ſuis ſparſim in libris commemorat, Scripſit ergo *de ſectionibus marmo-*


rum & polituris Philander, præterea *de lapidum coloribus*, quæ à ſe non ſolum ſcribi cœpta fuiſſe memorat, ſed & ad vmbilicum fere perducta. Neque hæc ſcripſiſſe contentus Philander, etiam & *de pictura & colorum compoſitione* diatribam literis tradere meditabatur, vt & *de hyalurgia, plaſtice, & baphice* libros, & *de vmbris* diſſertationem, quam philoſophiæ partem etſi Leo Baptiſta Albertus Patritius Florentinus prior occupaſſet, nec eam tractaſſet infeliciter, nihil tamen ab eo ſcriptum fuiſſe Philander opinabatur, quod conatus ſuos eſſent tardaturum.

HAbes, Eminentiſſime Princeps, quæ à nobis de Philandri vita, moribus, & ſcriptis pridem annotata ſunt, quæ ſi tibi placuerint, operæ pretium feciſſe mihi viſus fuero; ſin minus meum in te ſtudium hac qualicumque opera teſtatum fecero. Vale, & me deuotiſſimum nominis tui cultorem ama. Scribebam Diuione Calendis Ianuarij MD CLXVII.

EX PETRI DVMAII PAVLI F. SENATORIS DIVIONENSIS POEMATE MS.

AD PHILIBERTVM DE LA MARE SENATOREM DIVIONENSEM.

. . . . Tu ſcripta Philandri
Victa ſitu è mediis audes reuocare Ruthenis
Sequanicas vſque ad ripas, & mœnia feſſo
Das patriæ, quà Dujaci famâ inclyta fontis
Caſtilio in cœlum tumulis ſe mollibus effert.
Nec verò huic æui tantùm dabit ardua moles
Pyramidum, & variâ ſurgentes arte columnæ,
Quas Armaniaci Diuis pia cura ſacrauit:
Nec tantum decus huic Phariis dabit æmula dextris
Gloria, cui victâ cedat Vitruuius arte,
Quantum inſtaurati, per te redeuntis, honores,
Ætateſque vltrà lapidum, ruituraque ſaxa
Victurum decus, atque æternæ nomina famæ.



005643743

16